



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

III. De Cæremoniis Baptismi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

non mirum si dicatur hic aliquid ambiguitatis remanere, quæ sufficiat ad reiterationem sub conditione; cum non possint sciri & examinari personæ quæ baptismo adfuerint, vel illud administrarint, ut sciatur an ritè collatus fuerit baptismus. Si enim quando obstetrix baptisavit, volumus ut strictè & diligenter examinetur, ne error aliquis contigerit: quanto magis timeri potest, ne in similibus casibus muliercula magis ignorans baptisavit? Hæc ponderanda sunt, quicquid dicat Ochagavia apud Dianam, & Hurtado, qui non respondent huic rationi & argumento.

## CAPUT III.

*De Cæremoniis Baptismi.*

I. **Q**VAERO. *An circa necessitatem liceat baptisare sine cæremoniis, ut assecuretur puer, & postea tempore Parentibus aut Patriniis oportuno, adhibeantur cæremonie?* Resp. hanc passim invalescere praxim; ita ut Pastores in pagis, ubi aliquis est Domicellus, vel ubi auctoritatis alienius vir id

V 3

poscit,

poscit, statim baptisent puerum à natiuitate ; sed cæremonias differant ad libitum Parentum expectantium Patrimonos. Quo autem iure id faciunt; non video. Tum quia est *Clementina* expressa prohibens baptizare extra Ecclesiam, nisi in necessitate, aut Principis filium. *V. Clem. 1. de Bapt.* Tum quia inuertere ordinem cæremoniarum, ut postponantur Baptismo cæremonia quæ debent præcedere ex instituto ipsius Ecclesiæ censetur gravis materia. Unde *Navarr.* inter cætera peccata mort. quæ circa baptismum committuntur, istud recenset, dicens; *Scilicet peccat, qui cum non sit Presbyter baptizat absque necessitate : immo & Presbyter, qui baptizat citra necessitatem, sine exorcismis & aliis sòlemnitatibus, vel cum illis extra Ecclesiam, præter filios Principum.* Ita ille *Man. c. 22. num. 7.* Adverte etiam, quod is qui advocatur Patrinus ad cæremonias solum, non fit vere Patrinus, nec spirituales affinitatem contrahat: quia talis affinitas oritur ex tenentia in Baptismo,

sive

sive in administratione ipsius Sacramenti, non verò ex assistentia ad solas ceremonias.

Cæterum, cùm aliquando contingat Pastores urgeri importunitate in casu posito, immò & molestari pro infantibus quorumlibet Nobilium privatim sic baptisandis operæ pretium foret, ut Episcopi publico Decreto Pastoribus suam mentem ea de re indicarent. Tum ad importunitatem quæ eis solet invehi: propulsandam. Tum etiam ne ipsi Pastores, aut alii id petentes ab eis, existiment hoc communiter licitum, ob consuetudinis præscriptum; quæ tamen errori videtur adscribenda aut adulationi.

2. QUÆRO. *Quid si Parochus baptis-  
set, præmissis exorcismis, & aliis cæremoni-  
is baptismum præcedentibus: sed eas quæ  
sequuntur differat ad aliquot dies, donec  
Patrimus advocatus advenerit? Resp. hoc  
non tam facilè condemnandum puta-  
rim, quàm prius: quia inversio ordi-  
nis, quæ cæremoniæ baptismum præ-  
cedentes postponuntur & differun-  
tur,*

tur, gravior est quàm dilatio aliquot  
cæremoniarum, quæ natura sua & in-  
stitutione baptismum sequuntur: &  
ideo occurrente causa judicari possit  
istud licitum. Hoc tamẽ faciliẽ in pra-  
xim deduci etiam non probarim, quia  
Ecclesiæ consuetudo non admittit  
discontinuationem cæremoniarum,  
nisi gravibus de causis.

*Casus.* Si puer occurrat baptisandus  
in die Veneris Sancto, cum sacrum  
Chrismanovum non recipiant plerum-  
que Pastores à Metropoli distantes,  
ante Festa Paschalia; possunt interim  
baptisare adhibitis exorcismis, & aliis  
cæremoniis baptismum præcedenti-  
bus; Chrismationem verò & subse-  
quentes cæremonias possunt differre  
quia præceptum est, non uti chrisma-  
te anni præcedentis, nisi in necessita-  
te. Similiter dic de Oleo Cathecumẽ-  
norum.

#### CAPVT IV.

##### *De Patrinis.*

I. **Q**VAERO. *Quinam excluduntur ab  
hoc munere? Resp. I. excludi eo*